



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

38. Epistola Abbatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, pecuniis, peculis utriusque sexus, præfidiis, vel omni supellectile, vel quod ibidem inantea addere, adtrahere, comparare, aut emeliorare potuero, & transitus meus ibidem dereliquerit, pars ipsius basilicæ, ejus rectores, absque ullius expectata traditione vel judicium consignatione, in eorum vel ipsius basilicæ faciunt revocare potestate vel dominatione, & ad ipsam sanctam basilicam proficiat in augmentum: quia malo hoc post meum discessum ipsius basilicæ habere quam ceteris heredibus meis. Si quis verò.

*Cessio à die præsentē.*

XXXVI. Dum fragilitas seu casus humani generis pertimescit ultimum vitæ terminum subitanea transpositione venturum, oportet ut non inveniatur unumquemque imparatum, nec sine aliquo boni operis fructu migranti de sæculo; sed dum in suo jure & potestate quisque consistit, præparet sibi viam salutis, per quam ad æternam beatitudinem valeat pervenire. Idcirco ego in Dei nomine ille, pertractans tam de Dei parte quam & reverentia sancti illius, seu animæ meæ remedium, cedo ad sacrosanctam Ecclesiam sancti illius, quæ est constructa infra urbem illam, in honore sancti illius, ubi ille Abba & rector præesse videtur, non occultè, sed publicè, non privatim, sed palam, cessumque in perpetuo jure legitimo esse volo, & de jure meo in jure & dominatione ipsius Ecclesiæ trado atque transfundo, hoc est, locum rem proprietatis meæ illum, situm in pago illo, in condita illa, cum omni integritate vel adjacentiis suis, hoc est, cum terris, mansis, casis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, mobilibus & immobilibus, pecuniis, peculis utriusque sexus, præfidiis, vel omni supellectile, quantumcunque ibidem præsentī tempore mea videtur esse possessio, totum & ad integrum rem quaesitam & inquisitam, per hanc cessionem à die præsentē ad ipsam sanctam causam delego & confirmo, ita ut ab hodierna die quicquid exinde pars ipsius Ecclesiæ ejusque rectores de ipsa facere voluerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi, quia ipsam sanctam Ecclesiam plus id habere volo quam me vel ceteris heredibus meis. In cessionibus verò licet poena non inferatur, mihi tamen pro rei totius firmi-

tate placuit inferendum ut si ego aut ullus de heredibus meis, & reliqua.

*Venditio ad Ecclesiam.*

XXXVII. Domino venerabili & in Christo patri illo Abbati de basilica sancti illius, civitate illa, ubi ipse pretiosus Dominus in corpore requiescit, vel omni congregationi ibidem consistenti, ego enim in Dei nomine ille. Constat me vobis vel partibus ipsius basilicæ vendidisse, & ita vendidi, hoc est, locum rem proprietatis meæ, situm in pago illo, super fluvium illum, in condita illa, in villa illa, cum omni integritate vel adjacentiis, quicquid ad ipsum locum aspicere vel pertinere videtur, vel quantumcunque præsentī tempore mea videtur esse possessio, hoc est, tam terris, mansis, casis, domibus, adificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, libertinis, ministerialibus, mobilibus & immobilibus, pecuniis, peculis utriusque sexus, vel omni supellectili, totum & ad integrum, rem quaesitam & inquisitam, quicquid dici aut nominari potest, vel quicquid ibidem præsentī tempore mea videtur esse possessio, per hanc venditionem à die præsentē trado atque transfundo. Vnde accepi à vobis pretium pro jam dicto loco, de thesauro ipsius sancti, in quod mihi complacuit, vel aptificatum fuit, hoc est tantum, quod pretium in manus meas accepi; & ipsum locum cum omni integritate, sicut dixi, per hanc venditionem vobis vel ad ipsam sanctam causam tradidi perpetualiter ad possidendum, ita ut ab hodierna die quicquid exinde vos aut successores vestri vel pars ipsius basilicæ facere volueritis, liberam & firmissimam in omnibus habeatis potestatem faciendi. Si quis verò.

*Epistola Abbatis vel rectoris ipsius Ecclesiæ.*

XXXVIII. In Dei nomine ille Abba in Christo nobis dilecto illo. Ad tuam petitionem nostra decrevit voluntas ut tibi res nostras vel sancti illius in pago illo beneficiare usufructuario ordine deberemus, quod ita & fecimus. Et tu pro hujus merito beneficij obligasti nobis res tuas tam de alode quam & de comparatu, seu de qualibet adtracto, denominatas, in pago illo, in condita illa, in loca nuncupantia illa & illa, quas præsentī tempore tenere & possidere videris, hoc est, cum terris, vel omnia & in omnibus. Ea verò ratione ut tibi ex ipsis rebus, quas nobis obligasti, & illis quas tibi usufructuario ordine bene-

ficiavimus, non liceat aliubi nec vendere nec donare nec alienare nec in nullo modo distrahere nec in naufragium ponere, sed sub nostro vel sancti illius prætexto tibi liceat tenere & possidere. Et post tuum quoque discessum, absque diminutione rerum vel mancipiorum, cum omni re emeliorata vel supraposito, quicquid in jam dictas res inventum repertumque fuerit, in nostram vel ipsius sancti absque ulius expectata traditione vel iudicum consignatione faciamus revocare potestate vel dominatione. Vnde censisti te à nobis annis singulis ad festivitatem sancti illius in luminaribus ipsius sancti, vel pro mercedis tuæ augmentum, argentum solidos tantos. Et si de ipso censo negligens apparueris, fidem exinde facias, & ipsas res perdere non debeas. Quam epistolam manu propria subter firmavimus.

*Securitas de homicidio.*

XXXIX. Fratri illo, ego enim ille. Dum & omnibus habetur percognitum qualiter tu ante hos dies, insigante adversario, germano meo vel quolibet parente interfecisti, unde & postea ex hoc comprobatus apparuisti, & ante me apud illum iudicem exinde in rationes fuisti, & pro integra compositione pro jam dicto parente meo, pro ipsa morte, sicut mihi bene complacuit, argentum solidos tantos dedisti, ideo hanc epistolam securitatis tibi ex hoc emittendam decrevi, ut neque à me neque ab heredibus meis, neque à quolibet opposita vel emissâ persona nullam calumniam neque repetitionem de jam dicto homicidio habere non pertimescas, neque tu, neque ullus de parte tua qui tecum commorantur, sed ducti atque securi in omnibus exinde valeatis residere. Si quis verò, si fuerit aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, seu quilibet persona qui contra hanc securitatem venire aut agere vel refragare tentaverit, & à me vel ab heredibus meis defensatum non fuerit, sociante fisco qui litem intulerit solidos tantos componat, & sua repetitio nullum obtineat effectum, sed sit inter nos vel heredibus nostris ex hac re omnique tempore calcanda causatio, & hæc securitas meis vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione inserta, diuturno tempore maneat inconcussa.

*Iudicium iuxta quod causa continet.*

XL. Veniens ille die illo, quod fecit mensis ille dies tantos, in loco nuncupante illo, ante venerabilem virum illum suisque

auditoribus vel reliquis viris qui ibidem aderant vel subter firmaverunt, ibique interpellabat aliquem hominem nomine illum, dum diceret eò quòd hereditatem suam in loco nuncupante illo, quæ ei erat debita, post se retineret, vel ei malo ordine contradiceret injustè. Interrogatus ille ante ipsos viros taliter dedit in responsis, quòd ipsam hereditatem, quam ipse contra eum repetebat, genitor suus vel quilibet parens ipsam ei moriens dereliquerat, & de annis triginta inter ipsum & parentes suos, qui ipsam ei dereliquerant, ipsam tenuissent, & secundum legem ei sit debita. Dum sic intenderent, sic ipsi viri memorato homini decreverunt iudicium, ut in noctes tantas, quod evenit die illo, apud homines tantos sua manu tanta in basilica sancti illius, in loco nuncupante illo, taliter debeat conjurare, quòd ipsam hereditatem, quam ipse homo contra ipsum repetebat, per annos triginta inter ipsum & memoratos parentes suos, qui ipsam hereditatem morientes ei dereliquerant, semper ipsam tenuissent, & per ipsos annos triginta secundum legem plus sit ipsa hereditas ei habendi debita quam ipso homini reddendi. Si hoc ad eum placitum conjurare potuerit, ipsam hereditatem absque repetitione ipsius hominis omni tempore habeat eligatam atque evindicatam. Sin autem non potuerit, hoc legibus emendare studeat. His præsentibus actum fuit.

*Breve sacramentum secundum ipsam iudicium.*

XLI. Breve sacramentorum qualiter ingressus est ille die illo in loco nuncupante illo, in basilica sancti illius, juxta quod iudicium suum loquitur, apud homines tantos sua manu tanta, positus manibus super sancto altare juratus dixit: Per hunc locum sanctum & reverentiam istius sancti, quia unde me ille interpellavit, quasi hereditatem suam, quæ ei esset debita, in loco nuncupante illo, post me retinerem, vel ei malo ordine contradicerem injustè, ipsam hereditatem parentes mei mihi morientes dereliquerunt, & inter me vel ipsos parentes meos de annis triginta semper exinde vestiti fuimus, & secundum legem plus est mihi debita habendi quam ipsius homini reddendi, per Deum & reverentiam istius sancti juro. Similiter venientes testes sui per singula jurati dixerunt, quicquid iste de hac causa juravit, verum & idoneum sacramentum exinde juravit. Hij sunt qui subter firmaverunt.